



REVERENDISSIMO PATRI  
**IOANNI BAPTISTÆ**  
RONCHÆ  
à Placentia  
TOTIVS MINIMORVM ORDINIS  
APOSTOLICO GENERALI.



Fr. Angelus Vigus Minimus D.D.D.



*Tlantem, antiquitatis ingeniosum commentum, cuius fortitudini tantum à Poetis tributum est, ut Mundum ipsum posset immota sustinere cervice, febricitantium velut deliramentum, ab eruditis auribus procùl arcendum existimarem, nisi Sapientissimos wates non ignorarem fabularum integumentis sapientie mysteria volare solitos, ut cum voluptate hominum mores informarent, ac virtutum decora commendatoria redderent, ijs ab insipienti vulgo adè nobili surreptis inuento. Ingeniosum*  
*plane potius, quam commentum, antiquioris eruditionis arcanum. Atlantem enim fortissimum, Orbis machinam humeris sustinentem existimauerim ego sapientia præditum virum in dignitate constitutum, Præsulem numeris omnibus absolutum, qui capacissime mentis intelligentia, ac prudentiae robore sua complectitur, & sustinet Machinam Religionis. Viuida nimirum virtus est, suis ipsa fundamentis honestatis innixa, & diuino corroborata munimine, laboribus non succumbit, sed enutritur, sudoribus irrigatur, contemptu voluptatum inualscit, honestati immobiliter adhærens honorem pariter, felicitatemq; rebus præclarè gestis affectat, difficillima quæq; aggradit, & perficit: viatrix debellat ignauiam, inertia tenebras sua luce dispergit: Ei nihil arduum, celum*

† ipsum